Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 2263

Quelle:
Copyright:

se, ut in fide Christi educetur. Multis in utramque partem argumentis disceptatur.

Inter *fol.* 247. et 48. inserta est *Summa processus Concilij* (Basil.) *et fundacio ejusdem contra papam.* Continet 1) succinctam, sed adcuratam Ideam *Actorum Concilii.* 2) *Continentiam Bullarum Eugenii.* 3) Quaestionem: *An satis factum?* problematice propositam, et 4) *Consilium*, quod adscribam: *Scribantur apparentes et manifeste declarationes, quod papa per primam bullam simpliciter pure et realiter non satisfacit, et petatur ab ipsius ambasiatoribus emendacio per actum publicum, et quod illius emendacionis et actus, quem facturi sunt in publico de reuocacione, dissolucione et reintegratione omnium in pristinum statum, infra certum terminum bullas de rato procurent sub pena in monitorio, et fiat talis practica, quod hec omnia fiant ad instantiam domini imperatoris et dominorum temporalium.* Scriptum viri perspicacis, et multa animo complexi.

Fol. 253. *Bulla missa Vniuersitati Montispessulani.* Ab *Eugenio* IV. Incipit: *Etsi non dubitemus, quod scripturi sumus, jam dudum in vestram noticiam peruenisse* &c. Gravissima in *Basileenses* Philippica per omnem Conciliorum historiam expatians, et Cohortatio, ut Universitas se Pontifici jungat. Data est *Florencie a. 1441.* XII. *Kal. Maji. Pontificat. a. 11.* Ad calcem sua manu testatur *Thomas* noster *de Haselbach*, se *Nurenberge ipsa die beati Nicolai* 1443. hanc Copiam contuliss *cum originali Bulla missa ad vniuersitatem Parysien.* et demta quarundam vocum transpositione conformitatem inveniss. Unde mirum, eam nec apud *Egass. Bulaeum*, nec in *Actis Concill.* aut *Bullario* mihi occurriss. Comitatus est *Eugenius* prolixam hanc alia breviore hic adjuncta *Bulla* seu Epistola *Dilectis filijs Rectori et vniuersitati Parysien.* inscripta et *Florentia* eod. a. *Nonis Maji* data, qua priorem *literas Apostolicas in forma libri*, ejusque latorem *Antonium de Boratiis Cubicularium et familiarem* adpellat, et addit: *Similes etiam libros mittimus Carissimo filio nostro Regi francie illustri, et dilectis filijs nobilibus viris eius Regni ducibus ac ceteris vniuersitatibus* &c.

Fol. 265. Negotium Visitationis ecclesiasticae per *Austriam, Moraviam* &c. 1) *Bulla et substitutio pro Reformatione.* Delegaverat Concilium *Basileense* Oratores ad *Bohemos* et *Moravos Philibertum* Ep. *Constant.* (de Coutance) *Johannem de Polemar* Archid. *Barchinon. Martinum Bernerij* Dec. *Turon. Tylmannum* Praep. S. *Florini Confluent.* et *Aegidium Carlerij* Dec. *Camerac.* simulque dictam iis Visitationem injunxerat. Illi nunc praesenti Instrumento, cui etiam Delegatio *Basileensis a.* 1435. 3. *Kal. Jun.* data inserta est, substituunt sibi negotiorum obtentu Abbates *Christannum de Mellico*, et *Johannem Scotorum Vien. Johannem* et